Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Constantinopolis à Saracenis obsessa sæpè Deiparæ præsidio seruata. nu. 48.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

Ipſi autem tumultu concitato inter ſe congreſſi ad veſperam uſque ſtrages mutuo ediderunt. Mane inſequentis diei Dux in quirens, quod majorem ſuorum partem inteſtino conflictu periiſſe videret, turpiter domum rediit, ſtatimque Claſſis ab obſeſſione receſſit. quam domum revertentem in Euxino mari oborta tempeſtas, ita afflixit, ut per pauci ad ſuos redierint. hæc Cedrenus.

VICTORIA DE BARBARIS DEIPA-
ræ præſidio à Theodoro Heraclij fratre, & ab ipſo Heraclio parta.

Paulus Diaconus. *Theodor. Heraclij frater. Saim Coſrohis Ducem B. Virg. ope debellauit.*

47 EOdem Anno 625. Theodorus ex Paulo Diacono libro 18. hiſtoria. & Theophane in Annalibus Græcorum anno 16. Theodorus Heraclij frater Saim Primarium Coſrohæ Ducem inſtructum ſelectiſſimis copijs quas Coſrohes Chryſoloras, quaſi aureum cuneum propter excellentiam nominarat, quæ ad quinquaginta millia militum perveniebant, hos inquam Deo per interceſſionem ſuæ Genitricis opitulante devicit, ac bello commiſſo grando miræ magnitudinis contra barbaros decidit, eorumque plurimos percuſſit, Romanis interim aëris ſerenitate fruentibus. qui Perſarum fugentium copioſam multitudinem occiderunt. Heraclitus Imperator bellum aliquot annis in Perſide contra Coſrohen acerrimum Chriſtiani nominis hoſtem geſſit, quem tandem vicit ſacroſancta Chriſti Domini Cruce ex Perſide recepta. Is in Deo, ac Deipara omnem ſpem collocarat. quare ex Theophane in Græcorum Annalibus, & ex Cedreno in compendio, anno ſalutis noſtræ 626. qui erat ſextus belli Perſici cum à Turcis auxiliaribus, qui cum eo Perſidem invaſerant, paulatim dilapſis, ſe deſertum videret, ſuos milites hortabatur his verbis: *Videtis fratres neminem nobis adeſſe velle præter unum Deum, & quæ eum ſine ſemine peperit Virginem, id eo ſit, ut cœleſtius nobis miſſo auxilio, in nobis, ac omnibus iſtis ſuam demonſtret potentiam.* Nec ſane fruſtra, ut rei eventus eodem met anno declarauit, nam pridie idus Decembr. adverſus Razatem novum ac præpotentem à Coſrohe electum Perſarum Ducem collatis ſignis dimicauit, ipſumque Ducem, ut verbis utar Theophanis, in *Theopha.* prima acie pugnantem Heraclius aggreſſus diuina virtute, Deique Genitricis opitulatione, quam in auxilium totius belli aſciverat, dejecit, & de hoſtibus victoriam retulit glorioſam, & incruentam cæſis ex numero Romanorum dumtaxat quinquaginta. & ſane Heraclius Deiparæ adeò ſtudioſum ſe profitebatur, ut teſte Paulo Diacono libro 18. *Paulus Diaconus.* cum in Africa Imperator appellatus eſſet, Conſtantinopolim ſe contulerit cum navibus caſtellatis habentibus intra ſe arculas, & Imagines Dei Matris, quemadmodum pyxides. ſic ille.

CONSTANTINOPOLIS A SARA-
cenis obſeſſa ſæpè Deiparæ præſidio liberata.

48 ANno ſalutis noſtræ 672 tempore Conſtantini Pogonati Imperatoris anno ejus quinto, Saraceni ingenti numero Conſtantinopolim aſſiduis prælijs ab Aprili ad Septembrem expugnare tentarunt, ſed cum facere nequiſſent, hyemarunt Cyzici, ut proximo vere eam aggrederentur, quod per ſeptennium ſingulis annis efficere tentarunt, Verùm, inquit Theophanes in Annalibus Græcorum diuina, Deique Genitricis ope multitudine virorum bellatorum amiſſa, & vulneratione maxima in eis effecta confuſi ac reverſi cum ingenti mœrore ſunt. Cum autem diſceſſiſſet idem demergendus à Deo ſtolus ab hyemali æſtu, ac ſpiritu procellarum circa partes Scyllei comprehenditur, & contritus totus omninò diſperijt, ſic ille: Deo, ac Deiparæ Urbem Conſtantinopolitanam ſervatam tribuens. *Conſtantinopolitana Urbs ſæpè à Saracenis Deiparæ liberata. Theopha.*

Anno Dom. 717. qui fuit ſecundus Leonis Iſaurici Imperatoris Conſtantinopolitani cum nondum ipſe ſanctarum Imaginum cultum impugnaret, Conſtantinopolitana Ciuitas triennij Saracenorum obſidione cincta Deiparæ auxilio eſt liberata. quin etiam duæ Saracenorum claſſes, quarum altera ex Ægypto, ex Africa altera ſolverat, quibus annona ferebatur Saracenis Urbem obſidientibus, malè perierunt, miſſis ab imperatore contra utramque claſſem igniferis nauibus, de quibus Theophanes; *Tunc*, inquit, *Deo cooperante per interceſſionem intemeratæ Dei Genitricis Mariæ protinus ſubmerſi ſunt inimici, & aſſumptis ſpolijs noſtri: & expenſis eorum, annona videlicet, cum gaudio reverſi* *Aliud ſimile exemplum.*

merſi ſunt. hæc Theophanes. Erant autem naues igniferæ, quæ ignem in claſſem hoſtium coniecto eam comburebant. Theophanes enim, & Cedrenus referunt anno quinto Conſtantini Pogonati, (qui in annum Domini 672. incidit) adinuentum de nouo ignem, quem Marinum vocabant, eo quod in mari arderet. ſed ad obſidionem Conſtantinopolitanam redeuntes Saraceni Vrbem obſidentes deſtituti annona, fame, & peſte perierunt trucidatis ex illis à Bulgaris viginti duobus millibus. his omnibus atteſtatur Beda in fine libri de ſex ætatibus, & vt verbis vtar Theophanis: *Experimento didicerunt Saraceni, quia Deus, & ſanctiſſima Virgo Dei Mater Maria hanc muniunt Vrbem.* Meminit huius liberationis Conſtantinopolitanæ ope Deiparæ factæ Gregorius II. Pontifex in Epiſtola ad Germanum, qui tempore obſidionis, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ erat Patriarcha, quæ lecta eſt in ſecunda Synodo Nicena Acto 4. *Propugnatricis.* inquit, *illius ſanctæ, & omnium Christianorum Dominæ miranda facta, quæ in te declarata ſunt, per quæ tu quoque contra hoſtes ſeruatus, non ſunt reticẽda. Illi enim cum inſania multa tumultuarentur, tantum inuenerunt in ſe aduerſitatis hoſtilis, quantum eorum cauſa iniuſtitiæ habuit. Neque hoc tamen mirandum eſt: nam ſi Bethuliæ per manus Iudith Iſraelitis mulieris ſeruata eſt cuius opus Holofernis erat ſublatio & per ea tempora ob id ſalus iſraelis vocata eſt: quomodo non oportebat, & tuam ſanctitatem huiuſcemodi propugnatrice utentem hoſtibus Ciuitatis præualere, ipſamque victoriis coronare.* hæc, ille. Et certè cum Greg. Pontifex de ſacrarum Imaginum cultu in Epiſtola ag[illegible] non ab re exiſtimat Baronius tomo 9 Annal. ad annum Domini 717. eum verbis illis ſignificaſſe venerandam Deiparæ Imaginem ſupra muros ſolemni ritu circum ductam, & hac & ratione ab imminenti periculo Ciuitatem illam tunc liberatam. De claſſibus verò Saracenorum Theophanes hæc ſubijcit. *Ad hæc Saraceni, qui ex obſidione ſuperfuerant, cum multa confuſione 18. Kalend. Auguſti reuerſi ſunt, cum autem nauigaret claſſis eorum tempeſtas à Deo per interceſſionem Dei matris incumbens in illos, hos diſperſit, & alios quidem eorum penes Proconneſſum, & reliquas Inſulas, alios verò in vertiginos, & cæteras demerſit in æquore: ſuper reſiduas verò cum tranſiſſent Ægeum pelagus extemplo grando ignea deſcindẽs aquã maris ebullire fecit, & pice liquefacta naues ſimul cum hominibus inductæ ſunt in profundum decem ſolis ex eis ſaluis ad Dei magnalia quæ in ipſis facta ſunt, nobis, & Arabibus annuncianda: quinque enim à noſtratibus capta ſunt, quinque verò ſaluæ in Syriam deducta.* Ita Theophanes. eadem habet Cedrenus; quare quotannis pro tanto beneficio gratiarum actiones ſolemnes ſunt decretæ, quemadmodum in Menologio Baſilij Imperatoris, die 15. Auguſt. habetur, vbi etiam additur Saracenorum Principem petijſſe, vt Vrbem ingrederetur, eamque cerneret pollicitur poſt hæc inde diſcedere, quod eum ei conceſſum eſſet, & per Portam Boſphori equo ſedens intrare vellet, alijs ſuis ſine moleſtia ingredientibus ſolus Principis equus intrare nolebat. Reſpiciens verò ſurſum vidit ſupra portam Dei Genitricis Imaginem; tunc ſe nouit hoc paſſum, quod eandem auxiliantem Ciuibus blaſphemaſſet, deſiſtenſque & recedens cum ſuis in Ægeo pelago ab ignifera procella conſumpti ſunt. hæc in Menologio, quæ Baronius affert to. 9. Annal. ad annum Dom. 717. & 718.

Quod verò Deiparæ Imago in tanto Vrbis Conſtantinopolitanæ diſcrimine circumlata fuerit, atteſtatur Vinc. Beluac. lib. 23. ſpec. hiſt c. 27. his verbis. *Sigibertus.* Anno Leonis II. Conſtantinopolitani inſtantia orandi, & conſtantia prælıandi fortiter reſiſtunt Saracenis. Saraceni fame, frigore, bello, peſtilentia ſine numero pereunt. Auctor. Fertur autem eos miraculoſe hoc modo periſſe. Apud Conſtantinopolim in Monaſterio ſanctæ Dei Genitricis, iuxta palatium in mari propè S. Sophiã erat Jmago B. Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella S. Lucas, cum adhuc viueret S. Maria. Hæc Jmago vocatur Odigitria, id eſt deductrix: quia duobus cæcis apparuit S. Maria, & deduxit eos ad ſuam Eccleſiam, & illuminauit eos. Cum iſta Jmagine faciunt proceſſionem omni die Martis per totam Ciuitatem. Cum ergo, vt ſupra dictum eſt, obſeſſa eſſet, Ciuitas, & Ciues ieiunarent, & orarent ſimul, & pugnarent; quidam Ciuis admonuit afferri illam Jmaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo. Sancta Dei Genitrix, quæ toties nos liberaſti, libera nos modo de inimicis filij tui, & in mari merge illos. & cum hoc dixiſſent, ſtatim procella ſurrexit, & omnes naues Saracenorum, aut merſit, aut fregit. hucuſque Vincentius.

Margin notes (left): *Theopha.* / *Cedrenus.* / *Beda.* / *Theopha.* / *Greg. 2. Pont.* / *Iudith. 13.* / *Baronius.* / *Theopha. Saracenorum naufragia.*

Margin notes (right): *Cedrenus.* / *Saracenorum Principis blaſphemia in B. Virg. naufragio punitur.* / *Baronius.* / *Vincentius Beluacenſis.* / *Sigebertus* / *Saracenorũ naues, quæ Conſtantinopolim vexabãt per Deiparã, demerguntur, Conſtant die martis proceſſio cum Jmagine Deiparæ.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN